

## II

### DE RATIONALISMO

Quid sit rationalismus ?

Si rationalistas audias, nulli sunt humano intellectui præfiniti limites, sed quantum intelligibilium patet ambitus, tantum intelligentiæ nostræ virtus atque perfectibilitas extenditur; ita ut nulla veritas sit ipsi inaccessibilis, nulla ad quam indefinito proiecta progressu pertingere aliquando non debeat.

---

PROPOSITIO : Rationalismus non est admittendus.

NOTIONES PRÆVIAE :

1o Agitur heic de ratione *secundum se spectata*, non vero relative ad diversam, quam in individuis habet capacitatem et evolutionem.

Nota 2o Ideo veritatem aliquam supra rationem esse, quod non possit intellectus prædicati quod rei convenit, ideam habere per se, aut certe quod non possit conveuientiam aut discrepanciam inter rem et prædicatum illi conveniens aut non conveniens apprehendere.

Nota 3o Veritatem aliquam dici posse supra rationem !

a) *absolute*, et *secundum quid*. *Absolute* est supra rationem ea veritas, quam mediis naturalibus assequi nullo modo possumus. *Secundum quid* illa, quam mediis iisdem non possumus cum certitudine aut cum perfectione cognoscere ; ut v. gr. quædam futura libera, vel rerum essentiæ physicæ.

b) *per se*, et *per accidens*. Mentis humanæ vires *per se* illa excedunt, quibus cognoscendis hæ vires ex sese impares sunt.